

Bibliothèque numérique

medic@

**Cozette, François-Henri-Théodore -
candidat / Bourdier de Lamoulière,
Joseph-François - président. - An
quot sensus tot sensoria ?**

1784.

***Paris : Typis Quillau, Universit.
& Facultatis Med. Typograph
Cote : ms 2337a n°113***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0113](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0113)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

BIU Santé
Médecine
Paris

QUÆSTIO MEDICA,*
QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis trigesimâ mensis
Decembris, anno Domini M. DCC. LXXXIV.*

M. JOSEPHO-FRANCISCO BOURDIER DE LAMOULIERE,
Doctore Medico, Præside, Theseos Authore.

An quot sensus tot sensoria.

I.

OPERÆ hîc ego pretium fortè facturus sim, si, quemadmodum ingeniosus
ille & sagacissimus molecularum organicarum inventor, hominis naturam
ipsiusque essentiæ præstantiam levi penicillo adumbrare susceperim. Cujus cerrè
A

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

tanta est dignitas, tanta excellentia ut ad cæterorum animantium dominationem natus factusque videatur. Uni ipsi universam subjacere naturam ultrò fatearis, Unus rationis particeps cogitationisque capax & rebus quibuscumque inveniendis perficiendisque par, id per se habet ut altissima quæque pervadat ingenio, memor, sagax, plenusque consilii. Ex tot tantisque facultatibus quis non aperte possit colligere hominem animâ donatum.

Omnes, quotquot extiterint Philosophi, suas in eo contulere meditationes ut cœlestis hujus portiunculæ sedem deprehenderent, mutuumque illud animam inter & corpus commercium explicarent. Quibus in detegendis ac evolvendis quantum cæcutierint nemo sanè non persentiat. Cum autem sumi ad instar evanescentis perierit quidquid circa hanc partem excogitavit ingenii humani solertia, acturum me sapientius existimo si labori vano & inutili superfedeam, naturæque mysteriorum incuriosus, quod ipsa mortalium unicuique absconditum voluit, eâ quâ me decet reverentiâ, intactum conspultumque reliquero. Hoc unum quàm brevissimè simul & accuratissimè potero expendam an sentiendi facultas, quæ animantibus cæteris æquè ac homini propria est, in uno tantum puncto, quod sensorium dicunt, inclusa; circumscribatur diffundaturve in singulas cerebri partes undè suam diversi varique nervi ducunt originem. Prius quàm verò quæstionem, de quâ acturus sum, ingrediar, non mihi abs re alienum videtur definire quidnam sensum inter & sensorium discriminis sit, ac proinde quid per utrumque planè intelligendum velim.

Sensum voco, organum illud, quo variè modificato, ceu ductore quodam nobis impinguuntur diversæ impressiones, quas ex iis, quibus circumvolvimur, corporibus intus experimur.

Sensorium autem, sensitivum illud principium, in quo, tanquam in speculo, unà sese pingunt variæ impressiones, quas à diversis organis in se transfusas tenet.

I I.

CUM ad rem parùm conducatur perpendere an ex cerebri volumine pendeat animantium ingenii capacitas, satis me rem explanaturum puto, si ratione habitâ majus in homine cerebrum existere prædixerim. Quid autem cerebrum esse putaverimus? Nisi substantiam, quæ per se mollissima ac ceram æmulata in solidâ cranii pyxide includitur. Aliquid elliptici representans, aut ovo propè simillimum.

Plures in basi eminentes tumulos conspiciere est quibus ipsius lobi effinguntur cerebellumque ac medulla oblongata, quæ ab ipso suo per magnum foramen occipitale introitu medullæ spinalis nomen accipit. Tribus omnes illius partes membranis obteguntur, quarum una crassior & externa, quam duram matrem vocant, perioſthei locum tenet, sinibusque & plicaturis compluribus efformandis inserviens, nervos, donec ex osseis foraminibus egressi fuerint, comitatur. Infrà inest pia mater, quâ tota circumdatur massa cerebialis. Huic subjacet *Arachnoides*, quæ, in omnibus cerebri anfractuositatibus reducta, partes inter se jungit universas, unâque adjuvante matre piâ nervos involvit quorum minutissima efformat filamenta. Patet ex experimentis membranas neque sensibilitati neque irritabilitati esse obnoxias, ac proinde nihil eas in se habere facultatum quas ipsis attribuendas quidam senserunt.

Duabus componitur cerebrum substantiis, quarum una externa, cineraceo proxima, corticalis dicta, nescio quid vasculosum refert, habeturque fluidi nervosi organum secretorium. Hæc porro non est sensibilis. Altera verò subalbida, quam medullarem nuncupant, totam cerebri partem internam tenet. Quin ea fibrillis tota efformetur nemo dubitabit, si, nervorum quorundam origine perspectâ (1), ad medullæ oblongatæ (2) ac ipsius corporis callosi contemplationem transferit, & ibi fibrillas medullares perpenderit, quæ, sese decussantes à dextrâ ad sinistram, transmeant. Id ex suâ essentiâ habet hæc una substantia ut sentiendi facultate perfruatur. Si enim secto canis cranio, cerebri medullam irritaveris, acris quem ipse patitur doloris signa statim deprehendes, variasque pro variis partibus irritatis convulsiones. Si lobos anteriores irritaveris, exoritur in extremitate superiori oppositâ convulsiones, undè sensim enascetur paralisis: si verò irritentur lobi posteriores, extremitatem inferiorem subibit idem phenomenon, adeo ut per successivam variarum cerebri partium destructionem, minutatim, quod minum certè, moriatur animal necesse sit.

Nervi sunt fasciculi tubulosi duplici involucri à meningibus nato obducti; qui omnes ut à primâ suâ distincti origine, ita progressibus suis omnino dissimiles. Hoc per se habent ut in variis partibus motui & sensibus inserviant. Omnes cum ex medullâ oblongatâ, tum ex medullâ spinali bini oriuntur. Non est quod eos per se sensibiles dicas, cum nemo negaverit quin, abscisso, quodcum-

(1) Vide, Discours de Stenon dans Winslow, tom. III.

(2) Vide, M. Petit dans des Lettres imprimées à Nainur en 1707.

que volueris membro, idem ipsi diu addit dolor qui, priusquam secaretur, aderat. Si nervum ligaveris, pars inferior quæ ex eo suos accipit ramos motum perdit, quin imò sensibilitatem, quam ei, sublata ligaturâ, facillimè restituas. Idem de fluido nervoso dixeris, cujus ea est facultas ut quam accepit impressionem per promptam & successivam undulationem sensorio communicet.

I I I.

DE Animæ Domicilio veterum Philosophorum opiniones omnes, cujuscunque generis sint, refellere supervacuum prorsus nobis videtur, ut pote quæ ab omnibus propè observationibus alienæ. Id tantum mihi annotandum in duas discessisse sententias omnes, quos tulit ætas nostra physiologitas: quorum hi in uno cerebri puncto contractum planè ac definitum sensorium commune, illi verò in cerebri & cerebelli substantiâ medullari longè latèque diffusum contendunt.

1^o: Præterquàm quod nullum in volucris callosum (a) corpus queas offendere, liquet ex Linnii & Heurmanii compluriumque aliorum experimentis corpus callosum, quamvis læsum, non impedire quominus in animantibus, aliquot saltem per dies, sensus omnes permaneant. Falsò supponi ibi inesse sensorium illud commune testantur multa & alia, quæ in gravissimis ipsis, quos nulli funestârunt exitus exitiales, organi hujus morbis deprehensa cognoscimus. Nec minus probat tota glandulæ pinealis petrificatio nequaquam fieri posse ut organi ad vitam necessariò pertinentis sensorium pars illa habeatur.

Si ad ea quæ & ipse sagacissimè observavit *de la Peyronnie*, & quæ etiam observaverunt *Morgagni* *Haller* *Wansvieten* attendere voluerimus, nullam ultro fatebimur cerebri partem existere quæ, si seorsim durata fuerit aut ulcerata mortem una pepererit. Nullam ergo propriam ac peculiarem sensorio sedem adscribi posse nihil vetat quin inferamus.

Unicum ne in cerebro sit, adeoque ex solâ nervorum ad illud pertingentium modificatione oriri sensationum discrepantiam arbitremur? quo certè nihil absurdius excogitari possit, & vero magis alienum, cum tot dispersis ubique observationibus palàm sit, pro variis quæ in cerebro appetuntur partibus, varia quoque suboriri morborum phenomena. De quo si dubitaveris, Hippocratem adi,

(a) Vide, Mémoire de M. de la Peyronnie dans ceux de l'Académie des Sciences, an 1741.

qui id se deprehendisse ipse profiteatur quod si sinistra capitis parte ulcus habuerit quisque, dextram corporis partem convulsio prehendi, si verò dextrà, sinistram occupat convulsio. Cui certè sententiæ apertè patrocinator Valsalva qui & ipse scribit se nunquam resolutionem ex unâ corporis parte profluentem vidisse, quin manifestiorem ex oppositâ cerebri parte causam offenderit. Nullum propè authorem evolveris in quo sexcentas hujusce modi observationes repèire non sit. Si quæ forsàn, quæ certè rarò, sese ferunt exempla contraria, animadvertendum illud crede causam, ut minùs notabilis sit, posse tamen esse graviolem. Aliundè narrat Wansvieten sibi visum infantem qui, cum, priùsquàm cecidisset, clarè ac distinctè verba proferret, statim sub casum, licet cæterum ex omni parte sanum, balbutire occupasse. Scribit idem Author hominem cerebro quam leviter percussoproterius obmutuisse. Apud Galenum legimus Juvenem quemdam, cum gravi lapsu corruisset, linguæ usum quarto die deperdidisse, septimo autem vocem recuperasse. Vis & alios producam? testis opinionis meæ Heurnius, testis & Morgagnius: quorum alter refert nonnullos, cæterum incolumes, offenso occipite gustum odoratumque amisisse; alter autem ex sinistro optico thalamo incubuisse dextro oculo cecitatem, ortamque ex glandulæ pinealis tumore surditatem. Tempus me priùs deficiat, si omnes hîc ego velim recensere observationes quibus comprobare possim quantum ex variis cerebri affectionibus sensus, seu aliqui, seu omnes, imminuantur, augeantur, vitientur, & aboleantur.

I V.

DUO cerebrum dividunt hemisphæria, quorum ea est structura, ea distributio, is usus, ut, nedum discrimen ullum inter se patiantur, tota paria sint, tota similia. Non est ergò undè mireris si, cum alterum vi omni ac Facultate careat, alterum muneribus suis vacet, totum que vicibus suis defungatur, quod in hemiplegiâ deprehendere est. Ex utroque juxta iidem nervi enascuntur, consimili gaudentes origine undè fit ut objectum idem duplex videamus, (1) bisque sonum eundem percipiamus. Nonne inde concludas necesse est suam unicuique hemisphærio inesse objectum idem sentiendi Facultatem, adeoque duo existere sensoria? Omnes, si lubet, perscrutare Anatomix investigationes, ac præsertim eas quæ circà fibrillarum medullarum decussationem spectant, perscrutare & ea quæ in animalibus tentata sunt feliciter experimenta: quibus si medicas, quæ ad rem, de quâ agimus, referri possunt, observationes adjunxeris, in promptu tibi erit agnoscere:

(1) Vide M. de Buffon sur le sens de la vue. Tom. III.

1°. Lateris unius sensorium varias experiri impressiones quæ sibi ab altero la ere transfunduntur. 2°. Thalamos opticos oculorum esse sensorium : demum sensui cuilibet suum esse sensorium peculiare, cum ex uniuscujusque cerebri partis Læsione deducatur varia partium lœsio. Indè ego existimo id substantiæ medullari ingeneratum ut sit una sensibilis : unamquamque porro substantiæ hujus partem fibrillis medullaribus conflare, quarum numerus, directio, series, ordo, structura, cæteræque relationes totidem effingunt sensoria à se invicem distincta : quæ, quò magis ad vitam conducent, organa, eò erunt utiliora. Sic cordis sensorium, quamquam mentis forsitan sentiens, utilitatis plurimum secum importabit. Sed non id tantum in sensationibus nostris intererit discriminis. Nervus quo uno ducentur impressiones, eam ad suum ducet sensorium impressionem cujus pro suâ modificatione capiendæ capax est. Sic soni impressionem solus accipiet nervus auditorius quem in se admittere nunquam poterit nervus opticus. His stabilitis jam explicare facillimum cur sensationes quas simul experimur clarè ac ntidè distinguantur, neque ullo modo unquam confundantur. Hæc est, aut nulla, ratio sympathiam explicandi (2) quæ nullibi nisi in cerebro, per proximitatem aut directam fibrillarum relationem efformari potest.

V.

Hic forsitan dicat aliquis. Si quot sensus tot sensoria admiseris, quæ cerebri substantiæ deperditionem explicueris? Gravis quidem hæc objectio; sed quæ tamen nullo possit expediri negotio. Id tantum agnoscas mecum velis, non in uno tantum cerebri puncto considerare unumquodque sensorium. Quod inficiari profectò nequeas, cum illud pluribus componatur fibrillis, quæ à nervo, cujus, ut ita loquar, promotrices sunt, profectæ, plus mentis vel divergendo se se explicant. Considerandum præterea quasdam posse destrui fibrillas, eòque minori discrimine quò longius à nervo discesserint, quin ulla intercedat lœsio, modò ad hanc aut illam impressionem persentiendam satis supersit. Quà enim aliâ ratione possis explicare phenomena quæ in scientiarum Academiæ comentariis inscribuntur? Admisso autem quod proposuimus systemate, jam patebit quomodo effectum fuerit ut bos, quamquam toto propè cerebro, punctis duobus tantum exceptis, durato, sanus vigenisque persistenter. Jam intelliges quonam modo evenire possit ut quamvis sine capite in lucem maturo exitu prodierit fœtus quidam, cujus nervi suam à tumultu quodam pyramidalis, qui cerebri

(2) Vide Halleriphysiologiam. Tom. IV.

vicem adimplebat, originem ducebant. Quod si mihi objeceris medullam spinalem, cujus apparatus secretorius nihil ab ipso cerebri apparatu secretorio differt, cujusque parem sortitur proprietatem substantia medullaris, nervorum qui ab ipsâ producuntur non posse haberi sensorium, cum nulla humani corporis pars extet quæ variarum cerebri partium læsione non ipsa fuerit læsa. Hoc tu à me id responsi tene, eas esse, quas mox relaturus sum, observationes, ut ad credendum facillimè meus impellatur animus, medullam spinalem tot in se sensoriorum fontem continere quot ex ipsâ nervi derivantur: singula autem illa sensoria fibrillis medullaribus componi, quæ parallelo modo ascendunt, se se quæque divergendo partituræ, aliæ in lobis anterioribus, aliæ in posterioribus & mediis. Neminem profectò fugit eam esse insectorum vim ut, si iis caput abscideris, vivant adhuc, imò currant, veneremque exerceant. Neque id tantum insectis contingit, sed & idem in volucribus videre est, quæ, quamquam detruncatæ, volant & gradiuntur. Narrat HALLERUS vitulum quemdam licet capite præciso longum adhuc iter confecisse, duobusque ex hominibus pariter detruncatis, unum manibus planxisse, alterum ter gladium movisse: quibus addendum mulierem collo deciso sex circiter pedum viam gradiendo peregissee. Compluribus sanè aliis, quibus immorari juvaret, exemplis super sedeo; ne quos mihi ipse circumdedi cancellis egrediar. Cæterum ex iis quæ modo deduxi concludere mihi fas esse existimo.

Ergo quot sensus tot sensoria.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Michael-Francisus DE LA
PLANCHE, Bibliotheca
Præfatus

M. Christophorus-Nicolaus DE
JUSSIEU.

M. Joannes-Renatus SIGAULT,
Regiæ Scientiarum Acade-
miæ Divionensi, Regis Pen-
sionarius.

M. Joannes THAURAUX.

M. Henricus-Alexander
TESSIER.

M. Angustinus THOURET.

M. Hugo GAUTHIER, Con-
siliarius Regis Medicus.

M. Ludovicus-Gilbertus BOY-
ROT DE JONCHERES.

M. Carolus SALLIN, Saluber-
rimæ Facultatis Decanus, &
Consiliarius Regis Medicus
ordinarius in ejus Castello.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS - HENRICUS - THEODORUS COZETTE,
Parisius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAU, Universit. & Facultatis Med. Typograph. 1784.

